



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Præmittuntur quæ apud omnes sunt certa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)



DISPUTATIO PRIMA

De objecto fidei.

Ad quaestionem 1. D. Thomae.

Cum fides, sicut omnis alius habitus, a suo objecto specificetur, ut manifestam habeamus ejus naturam, quod sit ejus objectum, prius inquirendum est, & explicandum. Unde sit

ARTICVLVS I.

Quodnam sit objectum fidei?

§. I.

Premittuntur quae apud omnes sunt certa.

Notandum primo, hoc nomen *fides* variè à sacris Scripturis usurpari. In primis enim fides in Scriptura & Patribus sumitur pro fidelitate, quae est virtus voluntatis, praestans constantiam in servandis promissis & conventionibus; cui primo impositum fuisse nomen fidei, dictamque esse fidem, quia per eam fit quod dicitur, docent S. Augustinus Epist. 19. cap. 2. in fine, & Isidorus in libro Ethymologiarum. Ita sumitur Isaia 11. cum de Messia venturo praenuntiatur: *Erit fides, cinctorum renem eius*; & ad Roman. 3. cum dicitur: *Nunquid incredulitas illorum, fidem Dei evacuabit?* Juxta hanc acceptionem Deuter. 32. Deus dicitur esse fidelis; & Matth. 25. & 1. ad Corinth. 4. vocatur fergus, & dispensator fidelis, ille qui satisfacit obligationi bene ministrandi & dispensandi. Secundo fides sumitur pro veracitate, ut Jeremia 7. *Periit fides, & ablata est de ore eorum*; & Apocal. 11. Christus appellatur *Testis fidelis*, id est verax. Tertiò pro fiducia, Jacob 1. *Postulet autem in fide, nihil bastans*. Et Matth. 8. *Qui dimidi estis modicae fidei*; & Ubi sermo est de Apostolis naufragium timentibus: timor autem opponitur fiducia, ut docet S. Thomas in 3. dist. 26. quaest. 1. art. 3. ad 5. Quarto sumitur pro conscientia, seu judicio practico de agendis: ad Roman. 14. *quod non est ex fide, peccatum est*, id est, quod non est ex conscientia, seu judicio statuente licitum esse id quod agitur, peccatum est, ut ibidem interpretatur S. Thomas. Quintò pro fidei objecto, & doctrina: Apocal. 2. *Non negasti fidem meam*: Actor 6. *Multa turba obediens fidei*, id est doctrinae per Apostolos annuntiatae. Et in Symbolo Athanasij, praecipuis Trinitatis & Incarnationis veritatibus explicatis, subditur: *Haec est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*. Denique fides sumitur pro habitu, vel actu supernaturali intellectus: quo veritatibus à Deo revelatis, propter ipsius revelationem & auctoritatem, certò quidem, sed in evidenter assentimur: & haec dicitur fides Theologica, quam Apostolus ad Hebraeos 1. sic describit: *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, Graece in-*

πείσθω, id est basis & fundamentum spei (fideò enim speramus bona supernaturalia, quia per fidem certò tenemus illa nobis esse à Deo promissa) *argumentum non apparentium*, vel ut in Graeco est, *ἐλεγχος* & *βλεπομένων*, id est convictio, & certissima persuasio earum rerum quae non videntur, neque clarè apparent, creduntur tamen, quia à Deo revelatae sunt. Quibus verbis credendo, & obscuritas fidei designantur: certitudo quidem voce *ἐλεγχος* id est convictio; obscuritas verò per id quod additur & *βλεπομένων*, id est non visorum, seu non apparentium. De hac ergo fide Theologica in praesenti disputamus, & quodnam sit ejus objectum inquiremus. Pro cuius resolutione.

Secundò notandum est, seu ex disputatione proemiali ad totam Theologiam recolendum, objectum alicujus habitus vel potentiae dividi in objectum materiale, & in objectum formale: objectum materiale comprehendit illud omne quod per talem habitum vel potentiam attingitur: objectum verò formale est id quod per se & ratione sui attingitur à potentia, vel habitu; dividiturque in objectum formale quod, & objectum formale quo: primum est ratio illa quae per se & ratione sui attingitur à potentia vel habitu, & cetera ratione illius attinguntur: secundum verò est ratio illa sub qua potentia vel habitus attingit objectum, seu id quo mediante ad illud terminatur: v.g. in potentia visiva objectum formale quod, est color, quia illa per se, & ratione sui ab oculo percipitur: objectum formale quo, vel sub quo, est lux, quia mediante luce visus percipit colores; objectum verò materiale est omne corpus coloratum, quia omne corpus quod est affectum colore, à visu percipi potest.

Notandum tertio, in Deo triplicem posse distinguere veritatem, primam in essendo, secundam in cognoscendo, tertiam in dicendo. Veritas in essendo, est ipsa transcendentalis veritas, quae est passio cujuscumque entis, & invenitur in Deo, ratione cujus dicitur verus Deus, id est habens veram Deitatem, per quam à falsis diis distinguitur. Veritas in cognoscendo est ipsa veritatis cognitio, & in Deo est summa & infinita eius sapientia, ratione cuius omnia cognoscit ut sunt in se, & in nullius rei cognitione falli potest. Veritas in dicendo est propensio seu inclinatio ad dicendum verum: & haec in nobis est virtus moralis, residens in voluntate; & in Deo est summa illius inclinatio & propensio ad dicendum verum, ratione cujus neminem fallere potest, sicut ratione suae infinitae sapientiae, à nemine potest falli. His praemissis, & relictis variis Authorum sententiis, quia ita confusè loquuntur, ut difficile sit coniecere quid velint: ut D. Thomas, & Discipulorum eius doctrina explicetur, sit